

**J.B. Michaelis Sagar Historia morbi epidemici in circulo Iglaviensi et adjacentibus regni Bohemiae plagis observati annis 1771, 1772.**

**Contributors**

Sagar, Johann Baptist Michael, Edler von, 1732?-1813?

**Publication/Creation**

Lipsiae : Ex officina Krausiana, 1773.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/duy3wfyv>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

J. B. MICHAELIS SAGAR  
CIRCULI IGLAVIENSIS IN MORAVIA  
PHYSICI REGII

# HISTORIA

MORBI EPIDEMICI IN CIRCULO  
IGLAVIENSI ET ADJACENTIBUS REGNI  
BOHEMIÆ PLAGIS OBSERVATI  
ANNIS 1771. 1772.



---

LIPSIÆ,  
EX OFFICINA KRAUSIANA. 1773.

*Sentio autem nostræ Artis incrementum in  
his consistere, ut habeatur (1) historia,  
sive morborum omnium descriptio, quoad fie-  
ri potest graphica & naturalis,*

*(2) Praxis, seu Methodus circa eosdem  
stabilis ac consumata. Sydenham p. 6.*



# HISTORIA

MORBI EPIDEMICI IN CIRCULO  
IGLAVIENSI ET ADJACENTIBUS REGNI  
BOHEMIÆ PLAGIS OBSERVATI  
ANNIS 1771. 1772.

## CAPUT PRIMUM.

### HISTORIA EPIDEMIÆ GRAPHICA.

**H**æc epidemia reapse quatuor, vel si vis quinque distinctos morbos simul regnantes nobis exhibuit: nimirum Typhum *famelicum*, Miliarem *verminosam*, Purpuram *benignæ* proximam & Amphimerinam *hungaricam*, quibus malis descriptis absoluta erit historia pene tota symptomatum hujus epidemiæ.

Typho *famelico* pauperes & ruricolæ egestate consumpti & fame corripiebantur permulti, fame nempe confecti; hinc indigestibilibus quibusvis famem extinguere volentes sibi hunc morbum accersebant.

In principio languentes tandem grabato injecti cadaverum instar projectis membris jacebant ferme insensibiles, pallidi, squalidi, pulsus horum debilis, celer, rarus, inæqualis, gracilis, vacuus, inordinatus; respiratio lenta, parva, sæpius suspiriosa, capitis gravedo, & debilitas omnium sensuum; videbantur ob conniventes oculos perpetuo dormire, licet vigiles plurimum; respondebant tarde quasi evigilantes, & uno alterove verbo pronunciato continuo relabebantur in pristinum statum; urina pallidior plerumque naturali, carebat omni nebula ac sedimento; cutis squalida; fitis ferme nulla; fames non tamen clamans, atque ita instar cadaverum jacebant:

Talis morbus epidemicus & solus in **Langpirniz & Ranzern**, à me observatus fuit; hinc apparet nova species typhi esse hicce affectus, nempe Typhus *famelicus*; quia ex solo defectu alimentorum  
 orie-

oriebatur, nec symptomata exhibuit convenientia alicui alteri speciei Typhi. Nona vel 14. die morbi miliaria alba occupabant cutim symptomatis prædictis tenorem servantibus, vel saltem notabiliter non minutis, hæc miliaria lapsis III. V. vel IV. diebus disparuerunt & ægri sibi relictæ 20. 30. imo quandoque primo 40. die morbi desiere vivere.

Miliaris albißima hæcce propululabat extra cutim etiam post miliarem verminosam, purpuram benignam & in recidivis in typhum exhaustorum post Amphimerinam *hungaricam* cum symptomatis & tenore hic descriptis.

Anatomia porro quæsitus status interiorum in corporibus typho *famelico* denatorum hominum vix cochlearia aliquot sanguinis in toto corpore exhibuit, partes solidas corporis emaceratas, emaciatas vidimus: quam misera & deploranda fors mortalium, qui egestate & penuria confecti mori debent! Pecus lanigerum à fasciolis hepaticis enectum quandoque penitus exfanguie cultro anatomico subjectum deprehendi.

Morbus 2. Miliaris *verminosa* nunc locum capit, isthæc Miliaris toto tempore hujus epidemiæ observata fuit prout & typhus *famelicus*, maxime vero ab initio May 1771. usque initium Mensis Decembris; homines lecto addicti pulsum habebant suppressum, inæqualem, febrilem; respirationem aliquantum difficilem experti, pondus pectus premens querebantur; Lingua erat pallida, fordida; urina parum distans à naturali colore cum nebuloso sedimento; caput nullum affectum notabilem patiebatur; artus dolor plerumque habebat; vermes lumbricos ocyus aut ferius incolas intestinorum per anum excretos vidimus.

Miliaria V. VII. IX. XI. XIV. XVII. XXI. die sese monstrabant, raro tardius, aut aliqua intermedia numeratarum dierum, cum levamine symptomatum: primum erant rubræ maculæ, quæ in 4<sup>tum</sup> diem elevabantur in papulas milii magnitudine sphæroideas, albo flavescentes circulo manente rubro in libella cutis, pruritus dein & solutio usque 8<sup>vam</sup> auroram eruptionis raro tardius successerant; subin  
sub-

subfultus tendinum & delirium sese in-  
nuabant, quæ vesicantibus appositis ce-  
debant, nunquam dorsi spinæ stupor, nun-  
quam dolor lumborum aut capitis fuere  
hujus morbi affectæ, frequenter vero tuf-  
fis mucosa audita levans.

Purpura *benignæ* proxima una cum præ-  
dicto morbo cutim ægri quandoque oc-  
cupabat; solitaria dum contra erat, fe-  
quentia symptomata definitiva observanda  
dederat. Correptus ab hocce morbo ægro-  
tus pulsum habuit subdorum, suppressum,  
inæqualem, frequentia & celeritate sano  
parem; respiratio leviter dyspnoica, quid-  
piam quasi constringente pectus, observa-  
batur; linguam vidimus rubram rubore  
profundo, plerumque mollem, aphtosam,  
sordidam; fitis notabilis & calor internus  
potum imperabant; urina biliosa cum se-  
dimento vario, subin & jumentosa; som-  
nus aliquis refecerat ægros; tussicula fa-  
tigabat gutturalis plerosque; debiles erant  
ægri admodum persæpe & obstipati, raro  
ad finem morbi in deliria delabebantur.

Petechiæ die III. IV. V. VII. IX. XI.  
XIV. XVII. XX. morbi potissime erupe-



rant visibiles, sæpissime nihilominus III. vel V. die cum levamine symptomatum hæ maculæ plerumque lentis circumferentiæ æquales, lateritii coloris prout & lingua (ruber color linguæ in his febribus prædicit purpuram & albus miliaria) nunquam circulares circumferentia; subinde, quod præcipue notandum, supra libellam cutis elevatæ visæ sunt, & hæ benigniores purpureique coloris erant.

Perstabant in cute VIII. IX. XI. XIV. & quandoque XX. diebus; delirium superveniens vesicantibus furis admotis cedebat ut plurimum; diarrhæam sistebat rheum, terra catechu, myrobalani, falicaria & clysmata adstringentia; obstipatio contra solvebatur Clysmatibus aut suppositoriis; hicce morbus, quod bene notandum, non adeo dirus erat prout *Amphimerina hungarica*, ejus symptomata jam scribo, eoque libentius, quod ipse in Februario 1772. hacce per contagium suscepta laboraverim.

Furtive, clamque sicarius iste sese insinuabat in arcem & velut miles per scalas in arce erat defensore natura ignara quasi, qua via tantus irruerit hostis; aggrediebatur

batur enim cum levi capitis gravedine, tinnitu aurium, aliqua molestia spinæ dorsæ levique dolore, hæc symptomata ad vesperum aucta primis diebus erant sola, ægrotus feralem hunc hostem in corpore gerens non multum debilitatus adhuc comedebat, munia sua obibat, nihil ex levitibus hisce affectionibus mali suspicans; post tertiam ordinario diem crudelitatem suam & dominium monstrans morbus leges dictare ceperat, lecto affixit ægrum, vires prostravit, symptomata præfata auxit cum vertigine, pulsu retracto, lumborum dolore notabili, actionum animalium debilitate; pulsus erat retractus plerumque, inæqualis, inordinatus, jam cum celeritate frequens, jam cum raritate tardus, quandoque per momenta magnus & plenus; lingua acida non bibentibus simillima, & hæc pessima, naturali; imo mollior, humidior eadem, raro sicca crusta & nigra obducta fuit; urina sana modicum coloratior subin turbabatur turbidaque manebat, subin clara manserat cum mucoso sedimento, vel nebula pendente in medio; debilitas membrorum major cum insensibilitate; appetitus & sitis minuta; somni inquieti;

respiratio toto morbo placida, perraro ægri calorem internum cum anxietate querulabantur; omnia hæc symptomata ad noctem exacerbabantur, ut Amphimerinis proprium est.

Septima vel IX. die morbi cutis exanthematis purpureis vel miliaribus rubris maculata; rubor faciei & colli superveniebat cum hæmorrhagia narium sæpius, semper inutili; phrenitis ridicula, mitis, carphologica, unicus pannifex *Hoffman* furebat, sudores profusi & inutiles, urina jam pallefcebat sine nebula, jam cum nebula alta petente, jam ad nigram vergebat; debilitas & insensibilitas maxime tunc observatæ sunt; sopiti quasi dormiebant potissimum ægri; excrementa in lectum mittebant; sanguis primis diebus emissus aliqui crusta mucoso inflammatoria tectus nunc solutus faniei instar rutilus, aut plane prout ex cadavere exemptus iners fuit: atque sic ægroti 12. die morbi vel saltem 16. inevitabiliter moriebantur.

Anatomia ex hoc morbo denatorum cadaverum sæpius à me cum egregio Chirurgo inclyti Regiminis Hildbourghausen  
Chri-

Christophoro *Nobrer*, instituta exhibuit cor flaccidum, emaciatum; vasa corticis cerebri sanguine atro turgidissima, sanguinem inter piam & duram Matrem aliquanti copia effusum subinde, substantiam corticis præfati molliorem naturali: verbo sanguis visus est quasi pleno torrente ad caput confluxisse, quibus fortia emetica & magna copia cortex peruvianus datus fuit, hydrothoracem deprehendimus in eorundem pectore; lumbricos in intestinis etiam invenimus prout in reliquis cadaveribus ex hac epidemia denatorum.

Magnam stragem egit hicce morbus inter juvenes, plethoricos, biliosos, & robustos viros, paucas personas feminei sexus aggressus, & quas invaserat, non ita fuit his ferox quemadmodum maribus; nullum cachecticum, macilentum invasit; pepercit senibus & infra 15. annos natis; contagiosus plethoricis, biliosis, robustis, timidis, ut & mihi intrepido fuit. Errigens caput in Decembri 1771. furebat maxime in Aprili, & in Junio jam languebat in nostris agris. Parotides, vibices, ulcera carbunculosa initio Aprilis & fine Martii jam viden-

respiratio toto morbo placida, perraro ægri calorem internum cum anxietate querulabantur; omnia hæc symptomata ad noctem exacerbabantur, ut Amphimerinis proprium est.

Septima vel IX. die morbi cutis exanthematis purpureis vel miliaribus rubris maculata; rubor faciei & colli superveniebat cum hæmorrhagia narium sæpius, semper inutili; phrenitis ridicula, mitis, carphologica, unicus pannifex *Hoffman* furebat, sudores profusi & inutiles, urina jam pallefcebat sine nebula, jam cum nebula alta petente, jam ad nigram vergebat; debilitas & insensibilitas maxime tunc observatæ sunt; sopiti quasi dormiebant potissimum ægri; excrementa in lectum mittebant; sanguis primis diebus emissus aliqui crusta mucoso inflammatoria tectus nunc solutus saniei instar rutilus, aut plane prout ex cadavere exemptus iners fuit: atque sic ægroti 12. die morbi vel saltem 16. inevitabiliter moriebantur.

Anatomia ex hoc morbo denatorum cadaverum sæpius à me cum egregio Chirurgo inclyti Regiminis Hildbourghausen  
Chri-

Christophoro *Nobrer*, instituta exhibuit  
 cor flaccidum, emaciatum; vasa corticis  
 cerebri sanguine atro turgidissima, sangui-  
 nem inter piam & duram Matrem aliquali  
 copia effusum subinde, substantiam corti-  
 cis præfati molliorem naturali: verbo san-  
 guis visus est quasi pleno torrente ad caput  
 confluxisse, quibus fortia emetica & ma-  
 gna copia cortex peruvianus datus fuit,  
 hydrothoracem deprehendimus in eorun-  
 dem pectore; lumbricos in intestinis etiam  
 invenimus prout in reliquis cadaveribus ex  
 hac epidemia denatorum.

Magnam stragem egit hicce morbus inter  
 juvenes, plethoricos, biliosos, & robu-  
 stos viros, paucas personas feminei sexus  
 aggressus, & quas invaserat, non ita fuit  
 his ferox quemadmodum maribus; nullum  
 cachecticum, macilentum invasit; peper-  
 cit senibus & infra 15. annos natis; conta-  
 giosus plethoricis, biliosis, robustis, ti-  
 midis, ut & mihi intrepido fuit. Errigens  
 caput in Decembri 1771. furebat maxime  
 in Aprili, & in Junio jam languebat in no-  
 stris agris. Parotides, vibices, ulcera car-  
 bunculosa initio Aprilis & fine Martii jam  
 viden-

subtilitatem; oleum vero constantiam, ad-  
hærentiam ac conservationem.

Jam videamus mechanismum, quo hoc-  
ce fermentum per salivam deglutitum, vel  
halitum ventriculo communicatum agat;  
ventriculo inclusum igitur summa sua pe-  
netrabilitate aggreditur plexum nervorum  
coronarium stomachicum & per hunc ce-  
rebrum ipsum, medullamque dorsalem;  
hinc continuo dolor capitis ob æternum  
fœdus stomachum inter & glandulam cere-  
bri percussum, stupor hinc & dolor spinæ  
dorsi; cum medulla dorsalis sit quasi ap-  
pendix cerebri; nervi cardiaci debilitati  
ictus electricos cordi exiguos, vacillantes  
quasi opio perfriicta fuisset machina ele-  
ctrica, & irregulares, impertiunt; hinc  
pulsus retractus, inordinatus &c.

Artus adhuc moti ægrotantis, imo pri-  
mis diebus erecti, muneribus suis intenti  
ægri promovent sanguinem versus cor &  
inde ad caput magis, quam reditus sangui-  
nis venosi ex capite sollicitantur; quia  
collo parum vel nihil agimus, lecto affixi  
horizontaliter jacentes resistentiam sanguini  
in encephalum minuimus; vasa cerebri  
con-

contagio soluta inde turgescunt, rumpuntur, corticalis substantia mollescit; quia cor flaccido cerebro, præcipue in horizontali decubitu juxta leges hydraulicas vi illa, quam adhuc habet, impellit maxima copia, quapropter phrenitis & rubor faciei sequatur necesse est.

Natura acerrimus defensor arcis suæ, conservatrix & medicatrix morborum luctans adhuc cum inimico arcem jam occupante extrudit adhuc exanthemata, ruborem in faciem & hæmorrhagias narium fundit jam jam valedictura dulcissimo suo habitaculo: atque hæc esto expositio symptomatum pathognomicarum *Amphimerinæ hungaricæ*.

*Scheuckius* nominavit hunc morbum *vermem* cerebri, unde sollicitus quæsi per omnes anfractus cerebri hunc trucem incolam, inveni vero nusquam.

Nativitas porro hujus & aliorum miasmatum non adeo mihi apparet obscura; notum enim est viatoribus in tribus *Chymicæ* Regnis, quod ad fermentationem quamcunque necessarius sit determinatus gradus



gradus caloris & humiditatis aeris, certus gradus densitatis corporis fermentandi & quietis, simul determinatum aptumque liquidum, sic oleum vitrioli nunquam fit vasa sicut acetum tertiam fermentationem subiens. Menstrua Chymicis dicta varias quoque conditiones requirunt ad hoc, ut optatum fortiatur chymicus effectum, myrrham solvit vitellum ovi coctione solidatum, Regem metallorum referat aqua Regis & fortior spiritus vitrioli intactum relinquit.

Expertissimus Dominus Medicus Plenctz practicus Vindobonensis miasmata constitui à Vermiculis minimis autumat, nec sine ratione istud; acetum microscopio subjectum hosce exhibet, & mercurius summum anthelminticum miasma syphiliticum suffocat, quin & venenis variis animalium resistit, ut D. Medicus Laurenti in Dissertatione sua inaugurali demonstravit: ast hanc quæstionem altioris indaginis, nec hunc directe pertinentem relinquo.

Miasma istud mihi videbatur quasi subito spiritus nerveos dissolvere, destruere  
 velle,

velle, quod etiam in sibi relictis ægrotis VII. vel saltem IX. primis diebus in tantum perfecerat; ut dein vocatus ad innumeros vix unum alterumve servare potuerim omnibus excogitatis remediis: hinc multi egregii masculi mortui sunt; abominandus hic abusus invaluit à tempore immemorabili ad ægrotum primum ciere pharmacopæum, & ubi sub hujus cura sinistre decurrebat morbus, dein vocabatur medicus, ut in destructo ægroto, morboque ingravescente Artis Apollinææ miracula monstret, atque ita periere multi vigorosi masculi per hunc abusum damnabilem & petulantiam Apothecariorum intelligentia medica omnino vacuorum, qui servari poterant publico, si medicus in tempore accitus fuisset.

Quia vero statim mense Decembri 1771. dum iste morbus ceperat regnare hanc theoriam, quam scripsi, suspicatus fuerim, toto tempore epidemiæ, quando domi eram tres de die ictus electricos seu succussiones mihi dabam ad spiritus nerveos vivificandos, roborandos, subtilifandos, & obstructions tubulorum nervo-

rum referandas, sic me diu præservavi, haud tamen penitus liberavi, nam Zaræ in parvulo cubili ægrotantis nimis diu me detinendo, periculum spernendo contraxeram Amphimerinam *hungaricam*, ex qua VII. diebus decubui.

Illud singulare observavi in electro, quod ab initio Octobris 1771. usque XX. Martii 1772. semper fere fortissimum fuerit, quamvis December 1771. Januarius, Februarius, & Martius XIX. primis diebus toti nubili, pluvii, humidi & nebulis ferme quotidianis diem obfuscantibus spississimis fuerint dies; præter soles V. in Februario lucidos: an fors materia electrica solutis nostri corporis repagulis tam humido aëre nostra corpora deserens in aëre vagabatur? an distincta à nostris spiritibus animalibus? Numquid idem cum iisdem, quemadmodum Illustris de *Sauvages* probare conatur? quare contra omnem experientiam hoc anno tam humido fuit adeo violentam electrum? sed iterum ad viam.

Proxima causa vel natura typhi *famelicis* est humorum putrefactio, acrimonia  
&

& dissolutio; humores etenim nostri non accedente quotidie per cibum & potum novo chylo ad vitam continuandam in circulum assiduo acti ex natura sua fiunt inepti, acres & putridi; unde Typhus *famelicus* est febris putrida? Et quamvis non est visa contagiosa, sed popularis tantum ob epidemicam famem & egestatem; potest nihilominus halitus adtractus *famelico* malo laborantis putredinem in adtrahentis humoribus moliri, excitare.

Quodlibet etenim miasma, quantum ego opinor, nascitur & adest tunc, quando humores in naturam fermenti juvantibus causis occasionalibus subtilisati deventerunt; neque illud disputo, quod hocce fermentum quodlibet distinctam habeat naturam: sic mater aceti producit tantum acetum, cerevisiæ fermentum cerevisiam, & urina vino injecta non acetum, ast illico vapam.

Quæ vero partes constitutivæ cujusque fermenti seu contagii sint, fors olim sæcula recludent hoc naturæ sanctuarium. Singularis mea observatio de fluido electrico nobis forsan aliquod lumen dabit.

*Sydenhamus* quondam suspicabatur circuitum popularium morborum; & in historia pestis Domini Doctoris Antonii *Loigk* lego, morbos epidemicos in eisdem plagis, quibus hodie ab Anno 1708. ad Annum 1713. inclusive regnasse pestiferos: hoc est ante annos 59. Si in qualibet provincia Astronomus accurate notaret cometas, astrorum oppositiones, conjunctiones, meteora, ventos; barometri, Thermometri, hygrometri mutationes; pluvias, nives, nebulas, pruinas, rubigines, grandines; fulgura, tonitrua, electricæ materiæ vires; fructilitatem & sterilitatem terræ, aliorum aliis felicius incrementum sive vegetabilium sive animalium; si insuper Medici perfectum diarium morborum popularium sibi succedentium servarent; spero, quod peracto hocce labore inveniremus hunc circulum & successionem epidemiarum, nec cum difficultate imposterum ex prædictis Diariis veluti ex speculo omnia prædicere & forsan etiam prævertere possemus. Celeberrimus *Huxhamus*, per 30. annos continuavit tales observationes solus & unicus, quantum novi hucusque *Phlimuthi* omissis rubiginibus & fructibus terræ,

terræ, ego distractus rurali praxi possum imitari hunc Ducem laudabilissimum.

Causas immediatas Miliaris *verminosæ* negligo scrutari, quum sat superque ex Illustrissimi L. B. van *Swieten* Archiatrorum Comitum nunc acerbissimo fato nobis erepti Commentariis de morbis infantum, & tractatione *Allionii* de Miliaribus hauriri possint; dispensant me quoque immortalia opera *Hushami* ab inquisitione proximarum causarum Purpuræ *benignæ*, cujus morbi naturam luce meridiana clarius exposuerat scrutator hicce felicissimus: Sequantur igitur nunc causæ prægumenæ, occasiones, quæ sunt *constitutio cæli, Cometa & alimenta.*

Annus aeræ Christianæ 1771. hyems rigidissima cum Martio & initio Aprilis, pluviae dein profusæ, Majus totus siccissimus, calidus, & serenus; reliqui menses toti pluvii, ventosi, humidi, vernaes, subitanæ mutationes aëris; nebulae frequentes; October amœnissimus; November totus rigidus, brumalis, nivofus, & siccum frigus; December humidus, pluvius, nubilus ac nebulosus cum per-

fecta malacia, & hoc tempore erigebat caput *Amphimerina hungarica*. Januarius 1772. similis descripto Decembri sicut ovo ovum; his duobus mensibus nulla dies ferena, nullus phœbus nobis illuxerat. Februario contra V. vidimus soles, excreverat atmosphæra modicum nivium; dies XIX. agitaverant venti, plurimum vulturnus, paucis diebus rexit subsolanus & affricus, reliqui dies pares erant Januariis diebus. Martium totum agitavit vulturnus, quasi solus, inspissabant aëra vitæ nostræ pabulum nebulæ fœtidæ, frigidulæ; subin & pruina canebat aurora. XX. Martii gratissimus cum pruina nobis ortus phæbus, similesque dies calidi, fructiferi, sephyro, austro, vel subsolano spirantibus continuabant dies in XXI. Aprilis usque; calor fovens, fructiferus subin pluvia temperatus, dilutus, subin fulguribus & tonitruis lustratus succum radicibus impulerat; hinc omnia vegetabilia gemmas producebant; & flores stirpes vernaes videndos explicabant. Aprilis XXI. furibundus & frigidus ceperat flare boreas, frigore strinxerat omnia; nives, pruinas dabat sæpius & pluvias; raro nebulas, qui

ventus cum corregnante quandoque cæcia per XL. continuos dies flabat importunus; donec subfolano & noto imperium cessisset, qui adtulere nobis temperatos, fructiferos & æstivos dies, serenos cum pluviis intermixtis; languebat inde Amphimerina hungarica, minuebantur numero funera Iglaviensia. In Februario Trebitschio Vitisium petens viride, quod nuspiam, vidi crepusculum. Martii XXVI. 1770. duo orti nobis soles, duo luxerunt tota die, & vesperi occiderunt. Annis 1770. & 1771. toties cecidere rubigines melleæ dulces mucilaginis tragacanthi instar, quandoque & acres inflammantes pastorum nudipedum plantas & armentorum unguis lapsum struentes.

Armenta circa circum morbosa cadebant his annis; hinc & fructus terræ, à sole non excocti præsertim Anno 1771. rubiginosi, cornuta frumenta omnia & adusta; textura aranearum instar persæpe tegebant tellurem nebulæ: numquid & aquæ inde vitium traxerint? De *Cometa* vero deinceps agam.



Hippocrates Medicinæ Romulus reliquit popularium III. Sectione 3.

” Constitutio pestilens, Annus Austri-  
 „ nus pluvius, venti perpetuo quiescen-  
 „ tes, quum squallores fuissent superiori-  
 „ bus temporibus ad annum, in austrinis  
 „ circa arcturum aquæ multæ. Autumnus  
 „ umbrosus, nubilus: aquarum copia,  
 „ hyems austrina, humida, mollis.”

Qui attente relegit paulo ante vivis  
 Characteribus à me depictam nostram con-  
 stitutionem, concludet eandem proximam  
 esse Hippocraticæ nunc excitatæ: quid ni  
 totus December Anni 1771. cum Janua-  
 rio, Februario, & Martio 1772. usque  
 XX. ejusdem nubili, nebulosi, molles,  
 pluvii & vento non perflati ferme ullo  
 præter Februarium & initium Martii,  
 quem infalubris vulturnus perspirabat.  
 Unde viximus perpetuo quasi in limbo spif-  
 sas respirantes nebulas, in hisque velut  
 natantes; subsequi dein dies inter XX.  
 Martii & XXI. Aprilis calidi & exiguis  
 ventis agitati maceratis, relaxatis nostris  
 fibris, elementis fluidorum dissolutionem  
 minitantibus & stagnantibus in circulum

ege-

egerunt, & fermentationem nostros humores corruptos, relaxarunt adhuc plus tepore solida; hinc Amphimerinæ hungaricæ summus furor & maximæ strages. Et profecto nisi dein Boreas XL. diebus flando ac fruendo nostra strinxisset corpora, fluida compegisset, veram omni nota pestem habuissemus, quæ alioquin adventum suum proximum adesse significabat per purpuram, parotides; glossanthraces, vibices & ulcera carbunculosa in pluribus à me visa. Si præterea quis consideraverit æstatem Anni 1771. usque ad Octobrem, contendet nostram constitutionem multis parasangis Hippocraticam antecedere.

De Barometro per transennam hic quædam refellenda habeo: verum equidem est, quod Barometra mea accuratissima mensibus Decembri 1771. Januario, Febuario, Martio, Aprili, & Majo 1772. vix una die ascenderint ultra *variabile tempus*, sæpissime contra steterunt in *pluvia*; concluderunt igitur multi etiam physicam docti: ergo levem aëra respirandum habemus, ex levitate enim athmosphæræ descendit Mercurius.

Mirabar ego superficialem horum scientiam; nihil enim incompletius invenio ista conclusione. Quia humili Mercurio in tubo sæpissime spississimum aëra respirare cogimur; mercurius in tubo hydraulico æquibrat in ratione inversa densitatum (quo densior columna hermetis columna secum communicante athmosphæræ, eo mercurius hacce humilior) cum columna aëris secum communicante in ratione ejusdem altitudinis & densitatis, si igitur columna athmosphæræ inferius densa & superius rara sit, erit mercurius humili loco propter altitudinem, si contra superior pars columnæ densa & inferior rara sit, erit hermetis columna altior itidem propter altitudinem mutatam; hoc posterius accidit in serenitate, & prius acciderat prædictis mensibus. Spectari nimirum debet, in qua altitudine columnæ adsit densitas; quando porro adest columna athmosphæræ altissima & tota densissima, tunc Mercurius erit præaltus: quamvis hoc componi possit etiam cum raritate columnæ parte infima, contrarium vero nusquam.

*Cometa* Anno 1769. tanto tempore in Europæ horizonte moratus nobis visus tam magnus, tamque resplendens cum prælonga sua jam cauda, jam barba mihi videtur huic prælusisse epidemiæ. In tractatu de Imperio Solis & Lunæ in corpora humana scripsit Ill. Richardus *Mead*: „morborum complurium accessiones & circuitus a Lunæ viribus pendere ab omni ævo crediderunt antiqui. Imo quosdam esse, qui soli astrorum potentia originem suam debeant, testimoniis suis comprobant; historiarum enim morborum, qui per populum grassantur, primi scriptores sunt toti fere in corporum cælestium motibus & viribus enumerandis.”

Fluxus & refluxus maris extra omne dubium debetur astris, & quidem præcipue lunæ: sicut vero mare patitur affluxum & refluxum, ita & Atmosphæra ceu mare hominum fluidum eundem habet.

Dum intumescit Atmosphæra, rarior fit, & post collapsum densior, hinc pressio Atmosphærae in superficiem corporis nostri & pulmonem minor vel major agit.

Dum

Dum rarissima fit Atmosphæra, ut in præaltis alpibus & antlia, plane moriuntur viventia; si igitur novus globus ex immensa distantia per orbitam suam currens nostros inter globos sese intrudat, quanta hinc mutatio pressionum & repressionum telluris & satellitis lunæ, quanta rarefactio vel condensatio mortalium maris aëris, quanta mixtura atmosphærarum? Ex his ingens & persæpe repentina circulationis nostræ variatio & morbi oriri debent gravissimi (forte Astra moventur per ictus electricos sicut & sanguis noster) calculet, cui hæc placent, horrendam inveniet diversitatem.

Ante XXXII. circiter Annos ætatis meæ XI. vel XII. Cometa visus in mea chara patria Carniola similis huic, de quo scribo, caussaverat calamitates: utinam Antonius *Loigk* & *Dimerbrœck* cum reliquis *Loimographis* attenti fuissent, observassent forsan istum truculentum præcursorem, qui de his plura scire cupit, consulat Illustrum D. Richardum *Mead*.

*Alimenta* Anno 1769. humida & germinantia intulit frumenta horreis Agricola, suamque his alimentavit familiam.

Anno 1770. martiæ nives altissimæ super fata & tellurem pluviis austrinis adaper tam & mollem cadentes consumpserunt in radice frumenta pabulum mortali-um, in locum dein horum creverat bromus *secalinus*, agrestema *githago*, & lolium *temulentum*, hæc collegit & coactus comedit colonus. Notum vero est botanicis grana bromi difficilis esse digestionis & exigui alimenti; lolium contra temulentum est narcoticum, quod temulentiam, putredinem liquidis, laxitatem solidis ut opium inducit. Pleraque vero narcotica electrum suffocant & spirituum nerveorum vim supprimunt, ut tot experimentis cum opio factis in museo meo expertus sum; videntur itaque theoria sequenti somnum invitare: nimirum substantiam cerebri laxando, spirituum nerveorum crassin & secretionem destruendo. Probabilis idenditas materiæ electricæ cum spiritibus animalibus his confirmatur. Opium sumptum majore dosi per-  
ner-

nervos stomachicos communicatum cerebro illud relaxat, spiritus nerveos destruit; hinc residua vi cordis sanguis in caput ob minutas resistentias totus quasspellitur, inde veteris æternus.

Anatome narcoticis enecti infelici occasione dati confirmabit hanc meam opinionem, quam faciundi nec dum occasionem habui. An igitur feminium seu fermentum Amphimerinæ nostræ opio analogum? ita sane videtur, quod de uno in alium propagabatur homine vel sine contagio evolvebatur excitatum causis occasionalibus in quibusdam, in aëre vero illud necdum fuisse disseminatum volitans machina mea electrica mihi constanter adfirmabat.

Unde credo imposterum certissimum signum futurum aëris necdum infecti electrum viribus eminens suis.

Anno 1771. tempus floris seu nuptiarum non nacta commodum stramen dedere vacuum frumenta, & id, quod furto matrimonio imprægnatum erat, ob perpetuas pluvias non maturuit; grana erant

erant rubigine uſta & cornuta, quæ quantum ad putredinem & corruptionem corporum noſtrorum diſponant, notum eſt ex actis pariſinis; debuerat uero colonus hæc in victum trahere ob penuriam, debuit lolio & zizaniis veſci, hincere *Ge traydt* vocant.

AUGUSTISSIMUS tum & CLEMENTISSIMUS noſter IMPERATOR IOSEPHUS II. potius PATER PROVIDISSIMUS, quam DOMINUS populorum ſuorum ex hungaria curavit frumenta aduehi, hæc in antris Telluris hunorum more conſervata ſuccoſa & multi alimenti, noſtris ſtomachis exotica forſan etiam aliquid ad augmentum huius mali contulere.

*Lac* animalium ægrotantium, vel ſaltem feminium morboſum in corpore circumferentium in alimentum traxit agricola, & fame preſſus quandoque carnes ægrotantium, vel ex vi morbi denatorum comedit; & hæc etiam non minima cauſa epidemiæ cenſenda eſto.

*Fructus* arborum rubiginoſos, inconcoctos in alimentum trahendo certitudinem



nem epidemiæ sibi procurabant incolæ ex rationibus sæpius jam dictis.

*Parcimonia* ipsa bonos œconomos, honoris studiosos sui, aerisque alieni fugitivos ad ægritudinem putridam cum sua familia disponebat.

*Cererem* coxerunt braxatores ex hordeo immaturo, cornuto, rubigine usto & lilio temulento, quod intra hordeum præsertim crescit, onusto: en ultimum symbolum ad hanc infirmitatem conferentem.

DUM Conscribatur populus pestis: est chronographicum, est textus sacrae scripturae & quorundam albæ mentis hominum loquela.

Iraſcor ego his enthuſiaſtis; non licet enim ſupernaturalem aſſignare cauſſam cujuſdam phænomeni phyſici, dum adſunt occaſiones phyſicæ nuperrime expoſitæ; neque connexionem conſcriptio ullam habet cum epidemia, aut influxum in corpora mortalium, ſummoque Creatori eſt gratiſſima, qui omnia creavit in numero, pondere & menſura. Et inde eſt vel maxime approbanda, quod AUGUSTISSIMA &

CATHO-

CATHOLICISSIMA MAJESTAS IMPERATRIX & REGINA nostra sine gravissimis caussis conscriptionem hanc profecto non susceperit.

Quam utilis porro & necessaria fuerit hæc conscriptio, patebit lectoribus librorum statisticorum ponderatis sequentibus argumentis politicis. Princeps debet omnia media quærere & arripere, quæ ad perfectam cognitionem suorum populorum habendam ducere quoquo modo possunt, & quo faciliore & promptiore via hanc obtinere potest, eo melius est tale medium; & si ictu oculi omnia viscera cujusque individui inspicere possit, tunc felicissimus est talis Princeps, perfectissimum suum Regimen, felicissimi sui cives. Hanc vero facilitatem non alia methodo Princeps habere potest, quam accurata conscriptione habita: Cum hæc in ictu oculi scire potest, quot in loco nominato ædes, quot in qualibet homines & ad quid hi apti, quæque horum substantia.


Dum ego evocor ad ægrotum quempiam: rogo primum plateæ nomen, quo noto quæro numerum ædis, & sine omni

duce tempore oportuno visito ægrum, quem alias tantis quæstionibus factis absque duce non nisi palpando invenire potui.

Sanctum igitur est, justum & laudabilissimum est, quidquid Princeps facit ad gubernium suum perficiendum, facilitandum.

Utinam hæc salutaris conscriptio ante sæcula perfecta fuisset ! quot homicidia in capiendis candidatis pro militia facta emanassent, quantæ difficultates in nostra Monarchia dilutæ, quæ influxum in ærarium & cives habebant magnum.





## CAPUT TERTIUM.

### CANONES PROGNOSTICI.

1. **D**elirium leve ridiculum difficile, carphologium semper lethale.
2. Oculi rubri à sanguine effuso in vasa lymphatica adnatæ & scleroticæ; oculis hinc repressis, minoribus, lethale.
3. Facies rubra, rosea, admodum suspecta.
4. Hæmorrhagia narium post IX. diem morbi, lethalis.
5. Lingua naturali simillima gravis periculi; fordida contra & crusta etiam nigra tecta spem dabat.
6. Invasio morbi cum constrictione cordis, ita enim sese exprimebant ægroti, prava.
7. Pulsus vacillans, intermittens absolute lethalis.
8. Lethargus perpetuus omnes liberaverat miseris hujus vitæ.

9. Diarrhæa post IX. diem profusa lethalis; moderata semper bona.
10. Sudor qualiscunque fuerit, indifferens.
11. Urina naturalis cum nebula sursum petente delirans, & periculosa.
12. Urina feri lactis instar pallida semper lethalis.
13. Urina nigra certum lethum publicabat.
14. Urina quaecunque sedimentum habens spem promittebat, jumentosa missa, vel refrigerata turbida facta, talisque manens aliquid spei dabat.
15. Vesicantia in ingressu morbi adposita prodesse videbantur; tardius alligata traxerunt semper vesicam sine juvamine, & sive epidermide detracta cutis fuerit pallida, sive rubra, nihil inde prænosendum, nihil utile, vel inutile colligi poterat.
16. Purpura sub reticulo epidermidis recondita quasi per fenestram visibilis, difficilis iudicii.

17. In ingressu sanguis missus crusta inflammatoria tectus, indicabat ægri vitam adhuc esse in manibus Medici; crusta omni carens, rutilus, vel niger tremulus, pessimus.
18. Parotides, vibices, & intertrigines gangrænosæ, difficilia.
19. Glossanthrax semper lethalis.
20. Obstipata alvus noxia.
21. Foveam digiti impressi fervans corpus lustricam petebat.
22. Angina lethalis, & sonitus in deglutitione.
23. Inextinguibilis fitis certum signum gangrænæ internæ erat.
24. Carnes quæcunque facillime recidivam in Typhum *exhaustorum* procurarunt.

Et hæc sunt prognostica Amphimerinæ *hungaricæ*, reliquorum prognoses ex Nosologia Methodica Illustris D. de *Sauvages* peti possunt.

## CAPUT QUARTUM.

### PROPONIT THERAPEIAS COMPROBATAS.

- I. *Therapeia Typhi famelici.* Vires adhuc habentibus propinabam emeticum: debilibus vero salis amari vel vesci sesquiunciam dabam ad evehendas cruditates primarum viarum.

Dein pulverem specierum Imperatoris cum tartaro crudo, confectionem alkermes, aquam cinnamomi cydoniatam, liquorem anodynum mineralem, vinum aqua dilutum, vel medicatum cardiacum, cibos eupeptos, pro potu ordinario aquam aceto vini & melle, qui habebant, impregnatam cum fructu præstitueram: vel solum lac.

- II. *Therapeia Miliaris verminosæ.* Granis III. vel IV. tartari emetici vias primas ingruente morbo (plethoricis tantum dein vena secta) vel quocunque tempore, si istud necdum factum fuerat, sursum & deorsum evertui. Postea sume-

mebat ægrotus quater de die sequentis  
vel similis mixturæ cochlearia II.

℞. Aquæ Rutæ vel sambuci aut cinnamomi  
cydoniatæ, prout una vel altera magis in-  
dicabatur, unc. IV syrapi alicujus acidi,  
vel confectionis alkermes incompletæ  
uncias II. camphoræ gummi tragacanthi  
subactæ grana VI. liquoris mineralis  
vel spiritus salis dulcis guttas XXX.  
XL. vel LX. extracti corticis peruviani,  
nitri depurati a a drachmam unam,  
quandoque addebam stibium diaphore-  
ticum ; Misce. Cuique sumptioni debe-  
bat ægrotus superbibere vasculum  
unum, vel duo infusi calidi florum  
sambuci ; cordialium ; boraginis, vel  
specierum pectoralium simul. Pro po-  
tu ordinario dabatur aqua cum aceto  
vini & melle, vel limonada delicatiori-  
bus, pauperibus aqua cum aceto. Ju-  
scula tenuia, oxygala cibus erant : pe-  
diluvia vespertina bonum effectum præ-  
stabant ; epispastica plantis pedum ad-  
mota non erant contemnenda ; infu-  
sum pectorale bibendum erat pluribus  
ad sputum mucosum promovendum



quasi criticum, vel ad minus levans hujus morbi; mixturis kermes minerale admisceri debuerat quandoque.

Delirium tollebant vesicatoria emplastra furis adligata plurimum, quamvis subin & scarificatio capitis vel brachiorum institui debuerat; diarrhæam quandoque nimiam rheo tosto, myrobalanis, vel terra catechu stiti, rarius fuit opus clysmate adstringente. Subin pauperibus post emeticum cum fructu præstitui pulverem ex stibio diaphoretico, floribus salis ammoniaci & sulphuris. Hac methodo, ut candidè fatear, ubi nimis tarde non veneram, paucis subin mutatis curavi omnes; recollectis demum viribus claudebat curam purgans quodcunque mitius.

III. *Therapeia Purpuræ benignæ* si balnea pedum omittas fere in integrum conveniebat therapeia hujus cum jam descripta *Miliaris verminosæ*, pro pauperibus acetum vini, vel vinum ipsum cum camphora, speciebus Imperatoris & melle dabatur: cæterum nihil habeo, quod addam.

IV.

V. *Therapeia Amphimerinæ hungaricæ*

Erigente caput hoc truculento morbo  
 in Decembri 1771. & Januario cum  
 Febuario 1772. dabam mixturam cum  
 fructu post emesin & venæsectionem  
 ex aqua rutæ cum syrupo acetositatis  
 citri, cascarilla, contrajerva, campho-  
 ra, & liquore anodyno minerali, ubi  
 dein ad finem Februarii insufficientem  
 doluissem, parabam saturatum Deco-  
 ctum ex cascarilla, contrajerva, ser-  
 pentaria virginiana & Kinkina, huic  
 addebam spiritum vitrioli vel acetum  
 destillatum, camphoram, & syrupum  
 acidum; jufferamque quater de die  
 cochlearia bina post emesin & phlebo-  
 tomias ægrotus ut sumat.

Aqua cum aceto vini in haustum or-  
 dinarium & oxygala in cibum cedebat:

Ad finem Februarii ipse ego incidens  
 in hunc morbum descriptam methodum  
 insufficientem autumans sequenti me  
 curavi. Vesperi redux Zara advertens  
 hunc morbum me habere sumpsi unc:  
 femis salis carolini, & summo mane gra-  
 na iv tartari emetici, superbibi huic

vascula XIII. tepidi infusi florum sambuci, vomui hinc XVII. & III. laxavi: hora IX. matutina detraxi mihi unc: XIV. sanguinis ex vena brachii & totidem vesperi ex vena pedis; sumpsi eodem vesperi unc. I. salis carolini, & deinceps quolibet vesperi cubitum petens unciam semissem; aqua cum aceto rubi-idæi meus potus, meus cibus oxigala, & jentaculum infusum florum sambuci cum succo citri, hisque curatus octavo mane perexi Polnam ad ægrum.

Effectus deinde & Anatomia nos docuere & experimentum in me secundam methodum non esse appropriatam, unde sequentem cum votis adhibuimus.

Dedimus salis amari ℥iſs statim in principio morbi, secuinus venas ad minuendam massam humorum pro plethora toties quoties, præstituimus pulverem, quem mox componam, quater de die sumendum: Rz pulveris antispasmodici, tartari vini crudi, tartari vitriolati á scrup. j M. huic pulveri pro  
in-

indicatione addidimus subin grana 2. camphoræ; Ij corticis peruviani, vel grana VI. contrajervæ: oxygala erat cibus, & potus aqua cum aceto vini acidulata; optimum erat, si æger omnis nycthemeri spatio ter deposuerat alvum.

Sæpissime tarde vocatus exanthematis ut ex historia patet symptomatibus præsentibus tentavi varia: vesicantia carpis apposita tempestive aliquid videbantur prodesse, tarde traxerunt quidem vesicam sed sine fructu vel minimo, imo nuchæ adposita accelerarunt mortem vel delirium auxerunt.

Venæ sectio five in collo, five alibi instituta indicante eandem phrenitide nihil profuit; contrajerva & camphora parum, spiritus minerales & ipsum acetum destillatum nihil, radix serpentaria & kinkina nocebant; emulsiones camphoratae gratis parabantur, Mosehus non levabat pulsum, sola scarificatio brachiorum aut capitis cum moderata diarrhæa sacra erant anchora hisce naufragis.

Qui-

Quibus ab initio sufficiens quantitas sanguinis dempta & moderata diarrhæa semper conservata fuit, non fuere exanthematis maculati prout ego; Anatomia evicit, his ægris potius sal purgans dandum, quam emeticum, ne sanguis alioquin ad caput tendens adhuc magis illuc urgeatur.

Exanthematicus igitur non fuit iste morbus; sed tantum natura erroneo conatu ultimatim hæcce protrusit; ego etenim hisce non fui maculatus, nec alii, qui sufficientes phlebotomias in ingressu morbi instituerunt, & qui maculati fuerunt aliquilibus factis evacuationibus, evaserunt plerique: palmaria igitur fuerunt pharmaca hujus morbi phlebotomiæ, scarificationes, diarrhæa moderata, salia, tartarus crudis, oxygala & acetum vini.

V. *Therapeia Typhi exhaustorum*: reconvalescentes ex Amphimerina propter tot evacuationes & diætam strictissimam voraces erant; hinc facile in recidivam huncce Typhum inciderant ex quocunque vitio in victu reconvalescentium  
maxi-

maxime ex esu carniū, inter quas  
suilla pessima erat. Vires habentibus  
dabatur emeticum, vel melius sal pur-  
gans ad cibos indigestos exturbandos,  
dein sequens pulvis.

℞. Tartari vini crudi, pulveris anti-  
spasmodici, tartari vitriolati, pulveris  
corticis peruviani  $\overline{a}$  a ℥j Misc. Sumat bis  
vel quater de die talem pulverem ex  
aqua; nimis debilibus debebant dari  
species Imperatoris cum tartaro crudo  
& vitriolato; oxygala cibus & potus  
acidulatus optima his relapsis erant.

VI. *Therapeia præservativa* horum mor-  
borum: ego me quotidie electrifavi,  
omni XIV. ad minus vespere sumpsi  
unciam semis salis carolini; myrrham  
perpetuo masticaui, nares persæpe un-  
xi balsamo hocce: ℞. olei nucistæ pressi  
drachmam j. canphoræ, olei still. rutæ,  
angelicæ  $\overline{a}$  grana VIII. Misce. Suasi  
vero aliis, qui hæc recusabant, vel non  
poterant habere, acetum vini simplex,  
medicatum diversum, canellam, cina-  
momum, radicem Angelicæ, baccas  
Juniperi; purgans & venæ sectionem  
ple-

plethoricis præstitui, fumari, flamma lustrari debebant cubilia quotidie bis, ego in hunc finem domi accensa theca sulphurea, qua utimur ad ignem excitandum, cucurri per omnes angulos hypocausti mei; lecticina, quibus ægri incumbabant, revera erant contagiosa; unde hæc lavari, vel plane comburi jufferam.

Atque hæc est candida historia hujus epidemiæ, prout eandem cum Expertissimo Domino Medico Martino Leopoldo *Welz* civitatis Iglaviensis Physico jurato, veterano Practico, & Egregio Inclyti Regiminis Hildbourghausen Chirurgo Christophoro *Nobrer* in Arte sua dexterrimo observavimus, tractavimus.



